



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXVIII. Vtrum homo in puris naturalibus conditus posset innocentiam
diu conseruare, non peccando mortaliter per vires rationis, & liberi arbitrij,
sine speciali Dei adiutorio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

31.
Et adhuc
magis iustus,
quam im-
pudens.

Atque ad eundem modum intelligenda est tertia assertio posita. Nam in ea vterius considerandum est, hominem etiam iustificatum simpliciter, & absolute non posse perseverare diu sine peccato cum solis ordinarijs auxilijs gratiæ, ita ut illa moraliter satis sint ad perseverandum cum effectu, nisi Deus maiora subministraret, quæ non negat iusto facienti, quin se est per generalia gratiæ auxilia, ut infra videbimus. Et nihilominus per illa ordinaria auxilia aliquo tempore potest totam legem sine lapsu servare, quod quidem tempus in se quidem, & comparatum ad totam vitam, seu ad tempus illud, pro quo sunt necessaria specialiora auxilia, breue est, & modicum, & nihilominus comparatum ad tempus, pro quo fidelis existens in statu peccati sine nouo peccato conservari potest, longum est, quia vberiora sunt auxilia ordinaria fidei viux, quam mortuæ, ut per se notum est.

32.
Respondetur
iam speciali-
ter ad i. dif-
ficultatem
innum 25.

Et per hæc satis responsum est ad tres priores difficultates. Nam ad primam iam ostensum est, non esse eandem omnino rationem de resistentia vnius grauis tentationis, quæ est de perseverantia diuturna sine peccato, ideoque licet fateamur communi lege non dari infidelibus gratiam necessariam ad vincendas singulas tentationes graues, nihilominus vel ex pura misericordia Dei circa particularem personam, vel ex alijs vniuersalis providentiæ rationibus interdum illi credamus dari simile auxilium sufficiens, vel efficacax ad resistendum alicui tentationi. Ad secundam etiam, quoad eam partem, quæ ad infideles pertinet, iam ostensum est, quomodo non obstant defectu talis auxilij peccent interdum succumbendo tentationi. Tum quia in eo actu, & momento, quo id faciunt, sufficienti libertate physica, & morali id faciunt. Tum etiam quia si vellent ad fidem disponi, possent, quia paratum à Deo habent auxilium. Quæ posterior ratio in eis, qui habent aliquam fidei notitiam, & vocationem, locum habet, ad eos vero qui habent ignorantiam inuincibilem fidei recte accommodari non potest, prior ergo ratio sufficit.

33.
Et quoad 2.

Ad alteram vero partem de fidelibus peccatoribus dico, posse aliquo tempore mediocri per auxilia gratiæ sine peccato conservari: & ideo non tenentur statim, ac semel peccant poenitentiam agere peccati commissi, ne se exponant morali periculo aliud committendi. Nam tale periculum non statim instat, neque certo sciri potest, quando incipit esse necessaria ad non peccandum; imo in particulari actu, & tempore fere semper potest præsumi, non esse tale periculum morale ex illo capite, & ideo nunquam propter illum titulum obligat præceptum poenitentiae, nisi aliqui grauisima tentatio simul urgeat, ut in dicta disput. 17. de Poenit. sect. 5. dixi. Et eadem ratione non potest fidelis fieri certus, quod sit in statu gratiæ, eo quod aliquo tempore conscientiam peccati mortalis non habuerit. Tum quia illud tempus, in quo potest homo fidelis extra statum gratiæ conservari sine nouo peccato mortali, non est certum, ac definitum, nec fortasse in omnibus hominibus est æquale, nam pro diuersitate statuum, & multitudine, vel paucitate occasionum, vel tentationum occurrentium potest hoc tempus esse longius in vno homine, quam in alio. Tum etiam quia nunquam homo est satis certus, quod in toto aliquo tempore non peccauerit mortaliter, saltem per consensum, vel culpabilem negligentiam, semper enim occurrunt dubia, vel scrupuli, quæ sufficienti, ut homo de sua gratia non sit certus, ut in sequentibus ex professo dicemus. Quod vero spectat ad tertiam difficultatem iam explicatum est discrimen inter fideles, & infideles, quod in illo considerabatur. Quarta vero declarationem longiorem postulat, quam in sequenti capite trademus.

Ad 3. & 4.
difficulta-
tem, quid?

Utrum homo in puris naturalibus conditus posset innocentiam diu conservare, non peccando mortaliter per vires rationis, & liberi arbitrij, sine speciali Dei adiutorio?

Ratio dubitandi posita est in capite superiori, quia Rex resolutione præcedenti sequitur, hominem etiam creatum in puris naturalibus, & suis viribus commensuratum non posse diu vitare peccatum contra legem naturæ, consequens est falsum; ergo. Sequela probatur ex alio principio posito in Proleg. 4. quod homo lapsus non habet nunc maiorem defectum virium liberi arbitrij, quam haberet in pura natura; ergo si hæc vires nunc non sufficiunt ad vitandum peccatum dicto modo, neque in pura natura sufficerent. Falsitas autem consequentis probatur. Primo, quia aliis in illo statu naturæ esset homini simpliciter impossibile, servare legem naturæ, quia sine gratia non posset, & gratiam non haberet: consequens autem videtur contra illud dogma à Hieronymo, & Augustino traditum, & Concilio Tridentino sess. 6. ca. 11. confirmatum, Deus impossibilia non iubet.

Responderi potest argumentum recte probare, obseruantiam vniuersi quæ præcepti sigillatim sumpti esse possibile, saltem in singulis indiuiduis occasionibus, nihilominus tamen seruare totam collectionem fuisse absolute impossibile in illo statu. Sed contra; nam sicut est alienum à diuina providentia vno præcepto mandare rem impossibilem, ita etiam videtur contra eandem prudentem providentiam imponere homini tot præcepta, ut impossibile simpliciter ei sit, illa omnia implere, & non providere modum, quo implere possit, quia non solum quælibet lex, sed etiam onus legum debet esse portabile. Et confirmatur, quia repugnat auctori naturæ ordinare aliquid ad finem naturalem, & non dare potestatem ad consequendum illum; si autem homo purus non posset ita seruare legem naturalem, quin aliquando grauius peccaret non posset naturalem beatitudinem assequi, damnandus enim esset iuxta legem iustitiæ diuinæ propter tale peccatum: esset ergo miserabilior cunctis creaturis, nam reliquæ omnes possunt ad illos fines propter quos creantur, peruenire.

Præterea augetur difficultas illo vulgari argumento, quod si talis homo haberet libertatem, & vires ad seruandam singula præcepta, procedendo ab vna in aliam occasione, seruando præceptum, & vitando peccatum, posset etiam totam collectionem exequi. Quia collectio nec tota simul occurrat, nec simul seruatur, sed successiue, faciendo vnum actum post alium, & posterior, seu secundus, & tertius actus optime fieri potest, non obstantibus præcedentibus; imo potest ab illis iuari ratione consuetudinis, & licet nouæ difficultates possint occurrere, nunquam reddunt actum in particulari impossibilem; ergo nec collectio tota impossibilis est. Confirmatur hoc, quia in puris naturalibus non essent tam graues difficultates, & tentationes in singulis actibus, sicut nunc sunt. Tum quia non esset natura corrupta per peccatum, & ideo non esset adeo infirmata, tum maxime quia tunc non essent tentationes demonis, quæ nunc reddunt obseruationem legis naturalis difficiliorem in singulis, & in omnibus sine gratia Dei impossibilem.

Nihilominus dicendum est in primis, hominem in illo statu per solas vires naturales rationis, & libertatis, secluso omni peculiari adiutorio Dei, non potuisse diu seruare totam naturalem legem absque graui lapsu. Hæc assertio sequitur ex doctrina data, nam in libro præcedenti dictum est, non esse infirmiorero hominem lapsum quoad vires intrinsecas facultatum natura-

naturalium, & quoad repugnantiam, & disidium earum inter se, quam esset homo in pura natura, & hic dictum est, ex hac infirmitate provenire, vt non possit homo lapsus seruare diu omnia præcepta naturalia sine lapsu; ergo eadem impotentia esset in homine puro. Potest autem duplex differentia inter hos status considerari, ratione quarum videri potest, maiorem esse impotentiam hominis lapsi, quam puri.

Differentia inter hominem lapsum, & purum naturalem, quæ non obstat assertioni.
Prima est ex parte difficultatis, quæ provenit ab extrinseco ex tentatione demonis, quia hæc non videretur futura in pura natura, quia, vt supra dicebam, videtur præternaturalis, vel certe si in eo statu Deus permitteret extrinsecas tentationes, eadem ratione ex vi suæ providentiæ conferre deberet adiutorium etiam extrinsecum, & proportionatum vtiq; per bonorum Angelorum protectionem, quæ fieret hominipotens ad resistendum, & pugnandum cum extrinseco inimico. Ad hoc verò respondemus, etiam si hoc tantum concedatur, nihilominus ex vi intrinsecæ repugnantie corporis, & appetitus, & ex defectu naturalis cognitionis, & alijs imperfectionibus quali inseparabilibus ab humana conditione, & societate, sequi prædictam impotentiam, etiam si extrinseca impugnatio desisset, quauis hinc multum augeatur. Sicut enim in naturalibus ex compositione ex contrariis sequitur corruptibilitas, cui naturaliter resisti non potest, ita in moralibus ex compositione contrariorum affectuum sequitur infirmitas moralis, cui resistere humano modo impossibile est.

5. Nunciamus ad istam difficultatem.
Alia differentia est, quod nunc homo lapsus est verè, & proprie in inimicitia Dei, & indignus omni extraordinario adiutorio eius, & ideo de se est impotens omni modo, id est, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco ad seruandam totam legem; at vero homo purus non esset inimicus, neque indignus positivè (vt sic dicam) sed tantum non dignus peculiari aliquaratione, vel merito. Veruntamen etiam ex hac doctrina non excluditur impotentia extrinseca, sed ad summum infertur potuisse tunc hominem sine impedimento habere adiutorium Dei, quod est probabile, vt iam dicam. Aduerto autem circa hanc differentiam, aliud esse loqui de cognitione honestæ necessarii, & sufficientis ad operandum cum effectu aliquem actum honestum morale. Aliud vero esse loqui de peculiari favore, & adiutorio ad seruandam totam legem naturæ; nam prior cognitio provenire potest ex ordinario cursu naturalium causarum, & ideo per originale peccatum non contraxit homo debitu carenti illa cogitatione, quia non amisit ea, quæ omnino naturalia sunt; illa autem providentia est omnino naturalis, sicut quod Sol oriatur super bonos, & malos. Nec refert, quod talis cogitatio interdu congrua sit, nam eadem ratio est de illa, si per eundem cursum naturalium causarum provenit: quia illa efficacia, seu congruitas in effectu, est ex bono vsu liberi arbitrij, quem Deus non impedit propter præcedentem culpā. Igitur quoad huiusmodi cogitationem non procedit differentia posita inter hominem lapsum, & purum, procedit ergo quoad peculiare adiutorium necessarium ad cōtinuam observationem præceptorum: nam illud includit aliquas motiones interiores, quæ licet quoad substantiam naturales esse possent, per ordinarias causas non fierent, nisi Deus peculiari modo de illis provideret. Igitur quoad hoc adiutorium verum est, in homine lapsio peculiarem indignitatem huiusmodi gratiæ, quæ in homine puro non esset, inueniri.

6. Difficultas posita ab aliquo lib. 4. de civit. lib. 5. c. 47. & 48. c. 49. c. 50. c. 51. c. 52. c. 53. c. 54. c. 55. c. 56. c. 57. c. 58. c. 59. c. 60. c. 61. c. 62. c. 63. c. 64. c. 65. c. 66. c. 67. c. 68. c. 69. c. 70. c. 71. c. 72. c. 73. c. 74. c. 75. c. 76. c. 77. c. 78. c. 79. c. 80. c. 81. c. 82. c. 83. c. 84. c. 85. c. 86. c. 87. c. 88. c. 89. c. 90. c. 91. c. 92. c. 93. c. 94. c. 95. c. 96. c. 97. c. 98. c. 99. c. 100.
Tertiam differentiam inter vtrunque statum constituit quidam modernus scriptor, vt in Proleg. 4. allegati docens absolute non esse æquales vires internas ad operandum bonum etiam naturale, & vitandum malum contrarium in homine lapsio, & puro, sed maiores futuras fuisse in homine puro. Quo fundamento posito, ruit discursus à nobis factus, & conuenienter dicere quis potest, hominem in puris naturalibus posse solis viribus liberi arbitrij seruare diu totam legem naturæ absque peccato, & vincere omnes tentationes, quæ naturaliter occurrere possent, etiam grauissimas. Probatur sequela, quia in primis hæc assertio non est formaliter contra omnia Concilia & Patres, quia de homine lapsio loquitur, & ideo definitiones eorum extendi non debent, nec possunt ad hominem in meliori statu constitutum, in quo non haberet infirmam, nec vulneratam naturam. Deinde si semel admittimus, hominem in puris naturalibus habiturum maiores vires, profecto non est, vnde illas metiri possumus, aut limitare, vt ad alios effectus sint maiores, non vero ad effectum seruandi totā legem naturalem absq; peccato; ergo consequenter loquendo, potest optime etiā hæc differentia constitui inter vtrunque statum. Tandem confirmatur ad Corfirm. ad hominem, quia idem author ait, hominem in puris naturalibus potuisse diligere Deum super omnia viribus liberi arbitrij, licet in natura lapsa non possit: ergo eadem ratione posset perseverare sine peccato longo tempore in vno statu, licet non possit in alio.

Id obediunt.
At nihilominus idem author nunquam ausus est simpliciter concedere, posse hominem in puris naturalibus seruare diu omnia præcepta naturalia sine peccato viribus solius liberi arbitrij, sed in prioribus disputationibus, quas indicaui, punctum hoc præmittit, in disputat. vero 54. in quadam solut. ad 2. solum ait, quod in puris naturalibus. posset homo seruare breui aliquo tempore omnia mandata naturalia, sicut posset diligere Deū super omnia pro eodem tempore. Vnde sentit in natura lapsa nec pro breui tempore posse hominem seruare omnia mandata naturalia, quod profecto absolute falsum est, & præter mentem omnem Theologorum, qui de homine lapsio solum controuertant, an longo tempore possit omnia præcepta seruare, supponentes breui tempore posse, & id esse extra controuersiam constitutum. Si ergo homo in puris naturalibus maiores habet vires, plus etiam in hoc genere poterit, ac subinde non tantum breui tempore, sed etiam longo posset omnia præcepta seruare.

7. Et tamen idem author peccato viribus solius liberi arbitrij, sed in prioribus disputationibus, quas indicaui, punctum hoc præmittit, in disputat. vero 54. in quadam solut. ad 2. solum ait, quod in puris naturalibus. posset homo seruare breui aliquo tempore omnia mandata naturalia, sicut posset diligere Deū super omnia pro eodem tempore.
Video dici posse in ea sententia, quod nos supra de fidelis, & infidelis peccatore dicebamus, breue, & longum tempus dici posse & absolute, & cōparate, & ita in statu puræ, & lapsæ naturæ solum breui tempore posse hominem suis viribus seruare omnia præcepta, tamen comparatè multo minori, seu breuiori tempore id posse nunc hominem in lapsa natura, quam in pura natura, & cōuerso in pura natura posse vitare omnia peccata longo tempore, comparatione facta ad hominem lapsum, licet in se tempus illud breue esset, & absolute, & comparatione ad eundem hominem aliquo modo à Deo adiutum. Veruntamen licet supposito illo discrimine, hæc subterfugia probabiliter excogitari possint; nihilominus qui discrimen illud confingit, vel admittit, nullam rationem reddere potest, cur homo purus sit potentior lapsio, in tanto gradu, vel quoad talem, aut talem effectum logi temporis intra ordinem naturalium effectuum persistendo. Quapropter solidior, & omnino vera doctrina est, Solida doctrina intrinsece non esse potentiores hominem in vno statu, quam in alio. Atq; ita conclusionem positam niti à paritate rationis in doctrina Conciliorum, & Patrum, & firma ratione de repugnantiā cōcupiscentiæ, & corporis imbecillitate, quæ in statu puræ naturæ æquales essent. Atq; ita in hoc puncto docent Soto 1. de Natur. & Grat. c. 4. & Medin. 1. 2. q. 109. ar. 2. dub. penul. & alij.

8. Subterfugia præcluduntur.
Propter obiectiones vero in principio factas verisimiliter censo, pertinuisse ad indigentiam illius statum, si Deus in illo hominem constitueret, vt sua liberali providentia illi conferret aliqua auxilia in substatia quidem naturalia, in modo autē ultra communem causarum naturalium cursum collata, quibus posset homo, si vellet, totam legem naturalem diu seruare, omniaque peccata illi contraria vitare. Quod

9. Assertio 2. difficultatis in ista assertio non potest non concipi.
Ee 2 quidem

*Pro ea flat
Medina.
Ad ista dis-
crimines
idem in
bono sensu
suadent.*

*10.
Accedunt
etiam sua-
dones alia.*

quidem non esset auxilium gratiæ, prout nunc datur, id est, nec in substantia, nec ex parte finis, quia non transgredieret finem, & honesta motiua naturalia, esset tamen speciale beneficium in ordine providentiæ naturalis. Ab hac assertionem non dissentit Medina supra. Quia sensus non est, naturam humanam habituram fuisse integritatem in illo statu, quod Medina impugnat, & merito, sicut nos in proleg. 4. fecimus, sed sensus est: daturum fuisse Deum aliquas motiones providentiæ suæ, quibus illam hominis naturalem imbecillitatem iuaret. Et sic suadent assertionem rationes in principio factæ.

Item est valde consentanea diuinæ sapientiæ, & providentiæ. Quia ad authorem naturæ pertinet, ita suis creaturis providere, ut finem suum assequi possint, & licet illud adiutorium in rigore esset ultra curriculum naturæ debitum, non esset ultra providentiam consentaneam, cum magnificentia, & providentiæ Dei; tum excellentiæ humanæ naturæ puræ, ac præcisè spectatæ. Sic enim homo in puris naturalibus maiorem dependentiam in omnibus actionibus suis à Deo recognoscere. Item posset ab illo petere, & suo modo orare excitationem bonarum cogitationum, & affectuum, præcipue in necessarijs occasionibus, & temporibus opportunis, sicut petere posset pluuias, & alia bona temporalia. Item quia consentaneum est, ut Deus unicuique naturæ provideat iuxta modum suum, & ut rationalium creaturarum maiorem curam habeat, etiam intra ordinem providentiæ naturalis, quam brutorum. Item hoc modo homines haberent, unde magis timerent, & amarent Deum, si crederent, non solum illis providere per causas secundas, conservando ordinem earum, quem semel constituit, sed etiam aliquando vel eas aliter applicando per se, vel per Angelos, vel immediate internas hominum species frequentius, & efficacius excitando. Denique ad excellentiam naturæ humanæ pertinet, ut Deus immediate creet animam, ubi virtus ipsius naturæ defuit, & uniuerso provideat Deus mouendo aquam sursum ad replendum vacuum? cur ergo idem Deus ut author naturæ non præberet homini indigenti, hoc altius providentiæ genus, præbendo illi adiutorium prout expedire censeret. Unde illud adiutorium non esset tam propria gratia, sicut nunc est simile auxilium datum homini lapsi. Nam hoc auxilium prout nunc datur fidelibus, etiam peccatoribus, ordinariè est supernaturale, vel saltem per media supernaturalia obtinetur, nimirum, fidem, & orationem, ex illa, ut dictum est. In statu autem puræ naturæ tale auxilium solum daretur per inspirationes, cogitationes, affectionesque honestas liberaliori modo immixtas, utique ultra communem curriculum externarum causarum.

*11.
Respondetur
tacita inter-
rogationi
discrimine
auxilij in-
fidelium, &
status natu-
ræ puræ.*

Quod si nunc consideretur tale auxilium respectu infidelium, iam dictum est, nunquam eis dari. Verum tamen licet daretur, haberet in eis maiorem rationem gratiæ, quia ratione peccati originalis indigni sunt, etiam illa gratia; in statu autem purorum naturalium ex parte hominis non esset illa indignitas, seu demeritum talis beneficii, quod nunc est ratione culpæ originalis, & ideo quidquid nunc datur ultra generalem concursum, peculiarem rationem gratiæ habet. Secundo quia tunc non daretur illud adiutorium in ordine ad supernaturalem finem, sed tantum propter beatitudinem naturalem, nunc autem omne auxilium speciale datur propter supernaturalem finem. Tercio fieri potuit, ut in illo statu adiutorium illud non omne gratis daretur, sed iuxta hominis dispositionem, & cooperationem, nam ratio præmij, & meriti, ut sumitur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 21. etiam in ordine providentiæ naturalis locum habet, sicut culpa, & supplicium. Deinde esset aliqua proportio inter naturale opus honestum, & hoc naturale adiutorium, & ideo verisimile est, quod Deus non daret illud, nisi hominibus bene utentibus prioribus occasionibus

bene operandi, quas ipse naturalium causarum cursus offerret. Quod tamen nunc locum non habet, sed prima auxilia omnino gratis dantur, quia vel supernaturalia sunt, & naturalia opera non habent cum illis proportionem in ratione meriti, vel dispositionis, ut infra dicitur. Vel si auxilia sint ordinis naturalis, opera ipsa moralia hominis lapsi, & infidelis deficiunt à propria ratione meriti propter personæ indignitatem, quod non haberent opera hominis in pura natura, priusquam peccaret, ut notavit Medina loco allegato.

Atque ex his facilis est responsio ad priores rationes dubitandi. Ad primam enim recte ibi dictum est, quodcunque præceptum naturale per se possibile, quod satis est, ut eius transgressio ad peccatum imputetur. Quæ est expressa responsio Hieronymi tractantis de homine lapsi in dicto Dialog. 1. contra Pelagian. Est autem quoad hoc eadem ratio de homine puro. Unde quod Augustinus dixit libr. de Correptione & Grat. c. 11. Si adiutorium quoposset permanere, si vellet, vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset quia non talis natura facta erat, ut sine diuino adiutorio posset permanere si vellet, non utique sua culpa cecidisset. Hoc (inquam) intelligendum esse existimo de adiutorio ad vitandum illud speciale peccatum, in quod lapsi fuerunt, si enim non haberent adiutorium, quod illud vitare possent, si vellet, non libere peccassent, ac proinde nec peccassent. Non est autem eadem ratio de adiutorio, sine quo non potest homo vitare peccatum longo tempore, etiam si vellet, vel desideret, quia licet homini in principio denegaretur tale adiutorium, nihilominus maneret liber in singulis actibus, & potens aliquo modo sufficienti ad vitandum vnumquemque lapsum, ideoque illi imputaretur. Verum tamen quia non procedente ex parte hominis culpa, illa esset nimis dura, & insuavis providentiæ Dei, ideo primum hominem à se creatum per donum iustitiæ originalis adiuvit, & dedit illi absolutam potestatem ad seruandam naturalem legem quocunque tempore, & verisimile est, si creasset hominem sine illo dono in pura natura, adiutorium fuisse illum alio ad non peccandum contra legem naturæ, & ut id simpliciter posset longo tempore.

Unde ad replicam de multitudine præceptorum dicendum est, illud onus non esse ab extrinseco superadditum naturæ humanæ, sed esse veluti proprietatem consequentem naturam, quam Deus impedire non debuit. Oritur autem à natura hominis secundum eam partem, quæ spiritalis est, respectu cuius secundum se considerata facile esset omnia illa præcepta seruare, tamen quia illa spiritalis pars corruptibili corpori coniungitur, inde nascitur difficultas in ea lege seruanda. Quapropter sicut mirabilis est compositio ex rebus adeo distantibus, & quasi contrarijs, ita mirandum non est, quod in ea natura sint multa præcepta naturalia cum interna difficultate ad illa obseruanda: quæ nisi per maius adiutorium authoris naturæ, quam sit solus concursus vniuersalis, seruari non posset. Idemque fere est de consequutione beatitudinis naturalis, de qua procedebat prima confirmatio, ad quam per secundam assertionem responsum est.

Ad vltimam verò confirmationem, quæ procedere potest contra utramque assertionem, aliqui respondent, deficiente illo peculiari adiutorio Dei, necessarium esse, ut homo perueniat interdum ad occasiones certas, in quibus non possit legem naturæ seruare sola arbitrij libertate. Sed licet hoc verum sit quando interueniunt determinatæ temptationes graues, tamen quando illæ deficiunt, id non est necessarium, & nihilominus etiam tunc esset adiutorium necessarium ad seruandam totam legem naturæ longo tempore, & sine lapsu graui. Et ideo responderi potest primo negando consequentiam: est enim à diuina, seu determinata designatione singulorum ad confusam collectionem, quæ non est formalis, nec bona, ut cum Hieronymo

*12.
Ad i. ratio-
nem in a. u.*

*13.
Ad replicam
in nom. 1.*

*Ad i. con-
firm. in co-
dem nom. u.*

*14.
Ad i. idem
in nom. 3.*

nymo in Dialogis contra Pelagian. supra exemplis monstratum est. Et ratio etiam est supra tacta, quia impossibilitas, quæ reperitur in tota collectione, est diuerse rationis a possibilitate, quæ in singulis actibus, vel momentis determinate sumptis reperitur. Et ideo non sunt contrariæ, neque ab vna ad alteram est bona illatio. Nam potentia vitandi singula peccata, prouenit ex naturali indifferentia liberi arbitrij, quæ non tollitur ab obiecto creato cum quibuscunque determinatis circumstantijs per rationem applicato: impotentia vero respectu collectionis prouenit ex impedimentis occurrentibus, & inconstantia naturali, ac mutabilitate liberi arbitrij. Et hinc fit, vt licet vnaqueque occasio seruandi præceptum, & possibilis, & facilis appareat, nihilominus in illarum continuatione, & frequentia est peculiaris difficultas, quæ naturaliter superari non potest, & hæc omittitur, & non consideratur in argumento, & ideo collectio non recte fit.

15. Neque obstat, quod vnus actus bonus, quo præceptum impletur, vel vitatur peccatum, de se inducat dispositionem ad alium similem, cum quia in ipsis tentationibus, & occasionibus est varietas, ideoque sæpe dispositio relicta ex vno actu non iuuat in alia occasione occurrente. Tum etiam quia multo maior est difficultas, quæ ex mole corporis, & fatigatione sensuum est, & naturali quodam radio persistendi in eodem modo operandi nascitur. Tum denique quia illa dispositio, quæ per vnum, vel alterum actum inducitur, debilissima est, & parum iuuat, & ipsamet infirmitas, & fragilitas humana, si gratia destituitur, non finit illam dispositionem crescere, nam statim per plures actus perdit, quod per vnum acquisierat, vt de acquisitione virtutum paulo inferius dicemus. Aliter etiam posset in forma responderi, negando antecedens cum proportionem sumptum, cum enim dicitur, post primum actum vitandi peccatum, potest homo facere secundum, & post secundum tertium, & sic deinceps; licet hoc antecedens sit verum de potentia physica, & morali præcise spectata in ordine ad vnumquemque actum determinatè, non tamen simpliciter est verum respectu potentie moralis consideratæ in ordine ad totam illam actuum successionem. Secundum quam potentiam totum id, quod in antecedenti sumitur, non potest simpliciter fieri, quia in aliquo necessario deficiet, licet non possit designari aliquis definitus actus, vel determinatum tempus, pro quo illa necessitas reperiatur. Et ita quod mente cogitatur, proponiturque vt constanter faciendum, per successionem vnus post aliud, non potest in re executioni mandari cum illa vniformitate, nisi flexibile arbitrium, & tot hostibus circumseptum adiutorio gratiæ confortetur. Tertia confirmatio solum ostendit difficilius adhuc nunc abstinere à peccatis sine gratia, quam fieri in pura natura: non tamen ostendit illud tunc fuisse moraliter possibile.

C A P V T XXIX.

Vtrum homo lapsus possit elicere solis viribus liberi arbitrij sine auxilio gratiæ aliquem actum collectionis Dei, saltem vt author est, & finis naturalis.

1. **D**iximus de bonis actibus, quibus ex accidenti aliqua difficultas adiungitur, nunc dicendum sequitur de nonnullis, qui præter dicta impedimenta, ex obiecto grauem aliquam difficultatem habent. Inter quos primum locum tenet amor Dei, propter excellentiam obiecti, & ideo de illo specialiter mouentur quæstiones D. Tho. dicta q. 109. art. 3. & ceteri Theologi in 2. d. 28. Vt autem clarius procedamus, oportet supponere communem distinctionem de Deo vt prima causa naturalis est, & finis vltimus connaturalis

Pars I.

homini, vt in pura sua natura spectato. Vel vt est author supernaturalis, & gratiæ, ac obiectum beatitudinis supernaturalis. Nam priori modo cõsetur Deus bonum naturale hominis, ac proinde per se loquendo naturaliter diligibilis, posteriori autem modo spectatur Deus vt bonum excedens hominis naturam, ac proinde illi supernaturale. In præsentibus ergo non tractamus de amore Dei, vt est supernaturale bonum hominis, nam de hoc dicturi sumus in libro sequenti, nunc autem supponimus, illum amorem non pertinere ad ordinem naturæ, ideoque non posse fieri sine auxilio gratiæ, saltem si perfectus sit, an vero aliquis imperfectus eiusdem materialis obiecti sine viribus gratiæ haberi possit, ibi disputabitur, hic ergo solum de Deo, vt authore naturæ, eiusque amore tractamus.

Deinde prætermittenda est distinctio huius amoris Dei, nam generatim loquendo potest esse aut perfectus, aut imperfectus, sub qua verborum generalitate multæ distinctiones huius amoris comprehenduntur. Quia in hoc amore multæ perfectiones spectari possunt, & ob carentiam cuiuscunque illarum potest dici amor imperfectus, quia imperfectum dicitur ex quocunque defectu, ideoque potest hic amor multipliciter esse imperfectus. Prima igitur perfectio huius amoris est, vt sit beneuolentiæ, quo amore amatur Deus propter se ipsum, id est, vult homo Deo aliquod bonum, solum vt ei bene sit, vel vt Deo placeat, aut in eius gloriam reddet. Ab hac autem perfectione deficit amor concupiscentiæ, quo diligit homo Deum sibi, vt ipse homo bene sit, de qua diuisione dicemus statim plura, & alia cap. seq. Deinde amor vt sit perfectus debet esse absolutus, vt explicatur hac voce *volo obedire Deo*, vel gloriam eius querere; imperfectus autem erit, si solum in actu conditionato consistat, qui explicatur verbo *vellem*. Altera perfectio amoris est, si non solum sit absolutus, sed etiam super omnia appetitiuè, vt aiunt, id est, vt per amorem ita voluntas feratur in rem amatam, vt propter nullam aliam velit ab ea dimoueri. Vnde è cõuerso amor Dei, qui non attingit hunc gradum, dicitur simpliciter imperfectus. De hac partitione dicemus in cap. 35. vbi etiam de perfectione intentionis, & imperfectione remissionis: item de perfectione constantis amoris, qui etiam efficax dici solet, & de imperfectione inconstantis, seu inefficacis amoris aliquid attingemus. Denique ad perfectionem amoris, & maxime Dei pertinet, vt sit simpliciter bonus moraliter: nam si aliquam moralem malitiam habeat adiunctam, non solum imperfectus erit, sed etiam vix nomen amoris Dei merebitur. Quapropter cum in præsentibus capite de amore Dei loquamur, abstrahendo ab alijs perfectionibus, vel imperfectionibus, quo ad hanc vltimam non abstrahimus, sed loquimur de amore Dei omnino puro, & honesto; nam si aliquis est amor Dei impurus, & malus, ille non solum non fit per auxilium gratiæ, sed potius non magis est à Deo, quam cetera peccata. Talis autem erit, si quis velit honorare Deum, vt ab eo auxilium, & fauorem ad suas concupiscentias explendas, vel vindictam de inimico sumendam obtineat, de quo prauo amore recte intelligitur quod Augustinus dixit libr. Octuaginta trium quæstionum q. 30. peruersum esse, vt rebus, quibus fruendum est.

His positis fuit quorundam sententia, nullum amorem Dei siue perfectum, siue imperfectum, siue naturalem, siue supernaturalem posse haberi sine auxilio gratiæ. In qua sententia cum exaggeratione asserenda excessit Baius in opere de Charitate, ex quo in assertionibus supra Proleg. 6. c. 2. relatis, & à Pontificibus damnatis notatur 34. in qua refellitur distinctio duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur vt beatorum est, quam distinctionem dicit esse vanam, & commentitiam, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimonijs excogitatam.

Ee 3 Etia

2. notatio duplicis amoris perfecti, & imperfecti, & ceteri usque explicitio.

3. sententia negans. In ea astruenda quantum progreditur suæ sententiæ.